

Notes du mont Royal



www.notesdumontroyal.com

Cette œuvre est hébergée sur « *Notes du mont Royal* » dans le cadre d'un exposé gratuit sur la littérature.

SOURCE DES IMAGES
Google Livres

E C L O G A E
P O Æ T A R U M L A T I N O R U M

I N U S U M

G Y M N A S I O R U M

E T

S E M I N A I O R U M P H I L O L O G I C O R U M.



**ECLOGAE
POËTARUM LATINORUM
IN USUM
GYMNASIORUM
ET
SEMINARIORUM PHILOLOGICORUM.**

**ITERUM EDIDIT
LONGE AUCTIORES ET CORRECTIORES
IO. CASP. ORELLIUS.**

**INSUNT
A. PERSII FLACCI
SATIRAE SEX INTEGRAE**

**CUM SCHOLIASTA ET VARIETATE ALIQUOT CODD. NUNC PRIMUM
COLLATORUM.**



**TURICI
TYPIS ORELLII, FUESSLINI ET SOCIORUM.
M. DCCC. XXXIII.**

C
ut im
poëta
expo
classi
in C
et ra
princi
lection
harun
üs op
illece
spicier
exigu
elegan
ipta.
specie
poëse
intelli
studio
huius
si qui
gram
moni
quam
histor
eset i
Ubi v
quae v
ipso e
Elegia

EDITOR LECTORIBUS.

Quum Gymnasii Turicensium Carolini hoc sit institutum, ut in classe philologica eloquentiae professor suo ex iudicio poëtarum Latinorum vel locos selectos vel integra carmina exponat, quibus scholis interesse solent e reliquis quoque classibus auditores voluntarii, post Ovidium Virgiliumque in Collegio humanitatis domive perlectos, uti postulat usus et ratio, ad Horatium accessuri, satis cognito hoc omnium principe optabile sane erat, ut deinceps ad ceterorum etiam lectionem paullatim perducerentur. Etenim illi quoque, qui harum literarum ingenuo amore capti strenue ac sponte sua iis operam dare pergunt, novis subinde, ne ccesset voluntas, illecebris retinendi videntur. Horum igitur commodis prospiciens libellum auditoribus meis tradendum censui, cuius exiguo volumine comprehenderentur Latinorum poëmata elegantissima quaque et publicae interpretationi quam maxime apta. Sed id quoque spectandum erat, ut quae collegissem, speciem quandam universae praeter scenicam apud Romanos poëseos exhiberent et ad reliqua eiusdem monumenta recte intelligenda viam quodam modo munirent bonarum artium studiosis. Verum meo pro consilio paullo aliter, quam in huiuscemodi Anthologiis fieri saepe videmus, versatus sum; si quidem lectionibus ipsis reservari debebant, quae vel ad grammaticam interpretationem vel ad poëtarum artem demonstrandam proprie pertinerent; tum significare potius, quam enucleare consentaneum erat res mythologicas atque historicas, ut, quum accurasier earum expositio a magistro esset repetenda, memoriae tamen aliquatenus subveniretur. Ubi vero plures unius loci interpretationes extarent, eam, quae verior mihi visa esset, aut ab aliis repertam aut a me ipso excogitatam indicare raro neglexi, ne nimis fluctuarent

auditores scholis cum fructu excipiendis sese praeparaturi. Exhibenda etiam erant interdum aliorum scriptorum verba meos illustrantia, quominus dictando tereretur tempus vivam potissimum magistri vocem desiderans. Praeterea quum haud pauci nostrorum mature iam criticae doctrinae praceptis initiandi sint ac theologorum quoque ingenium his studiis acuatur sevoceturque a somniis fanaticorum, diligenter etiam quam in tironum, ut inquiunt, usus plerumque solet necesse haberi, enotandam ac diiudicandam suscepit lectionis diversitatem. Paucissimis denique verbis ut his omnibus defungerer, ipsa libelli utilitas suadebat; carmina enim, non annotationes ii petebant, quibus erat destinatus: [nec vero tantummodo ad lectiones publicas: volebam enim, ut domi quoque haberent, quibus sese delectarent. Minime autem, haec scribens, reprehendo VV. CC. Lindemannum (1823.) et O. Schulzium (1825.); suum enim uterque consilium secutus est et in diversis regionibus atque scholis compluribus similis moduli ac generis libellis, ut inter multos etiam meus est, locum esse video. Praeterea nemo mihi vitio vertet, quod meo ex sensu, quem erroris experientem nunquam praestabo, in omnibus mei libelli partibus, etiam in hac altera editione, ea secutus sum, quae vere poëtica mihi visa sunt, alii alia quum practulerint. ED. ALT.]

Iam, quibus subsidiis usus singula tractaverim, enarrabo.

In Lucretii quidem locos selectos recensendos plus utique laboris insumendum fuit, quam propositi ratio postulare primum videbatur. Quamvis enim Eichstaedtius, quem praecipue secutus sum, (etiam in scribendi ratione, non tamen usquequaque ipsi Viro clarissimo postmodum probata) perpetuum Wakefieldi censorem correctore inque docte atque eleganter egisset, nihilominus aliquoties modo amborum, modo alterius utrius auctoritatem deserere ausus sum. Nam ea profecto etiam nunc est conditio carminis Lucretiani, ut indefessas futuri editoris curas requirat, qui studiose rursus excussis codicibus editionibusque in nova recensione adoranda elaboret. Ego vero et libris scriptis, et, quod nimis aegre tuli, Iuntina editione^(a) destitutus, quid in tractandis

(^a) Hanc et alteram Aldinam nunc ipse domi habeo. Ed. alt.

reliquarum ac praesertim Glasguensis(*) copiis observare licuerit, paucis exponam. Brixensem e melioris notae codice ductam esse compertum habeo, eaque quum caruisset Wakefieldus, factum est, ut minus certum de veterum editionum lectionibus saepe iudicium ferret. Ex alio autem libro vitiosiore fluxit Veronensis, fideliter repetita in Veneta, erroribus nonnisi operarum et paucissimis interpolationibus correctori, ut opinor, subnatis, sed plerumque pravis, discrepante ab illa. Venetam(**) deinde, non Veronensem, ut ratus est Wakefieldus, emendavit Hieronymus Avancius, qui scite interdum, frequentius tamen, ut Italorum tunc temporis mos erat, audacissimi interpolatoris, quam circumspecti critici partes agere maluit. Profitetur ille quidem, nescio qua gloriola ductus, se Lucretii poëma sine antiquo exemplari emendasse, sed eundem veteratorem hac in re deprehendi, quippe qui versus aliquot minime subditios, quamvis a praecedentibus, si fides Gerardo, omnibus omissos (2, 4139. 3, 866. 5, 1011.) suis locis inseruerit. Hanc autem Aldinam priorem examinare quum neglexisset Wakefieldus, eum in errorem incidit, ut quae Avancii essent, cuncta Pio perperam tribueret. Pius enim rarissime ab Avancio discessit (1, 423. 2, 591.) bona atque inepta pariter subripiens; prisca vero exemplaria, quae identidem laudat, passim interpolationis suspecta sunt, Marulli praesertim codex.

In Catulli Epithalamio Pelei ac Thetidis(***) recensendo usus sum Aldina utraque, Parisina c. n. Var. anni 1604.,

(*) Glasuae 1813: 4. Vol. 8. Magna dos huius editionis est collatio Ed. Brixensis s. a. (1472.) Veronensis 1486. Venetae 1495. Avancii apud Aldum 1500. cum Bipontina 1782., quae Creechii, id est, Lambini ultimam recessionem sequitur, a Ioanne Gerardo accuratissime confecta.

(**) Cfr. I, 142. *efferre Ver. perferre Ven. Av. 3, 1048. infimus Ver. improbus Ven. Av.*

(***) Festivam allegoriam convivii illius nupcialis habes in Clementinis, Homilia 6, 14. — τὸ δὲ συμπόσιον τὸ γαμήλιον, ἔνδια τὸ δεῖπνον ἐτέλει Ζεὺς ὑπέρ τε τῆς Νηρείδος Θέτιδος καὶ τοῦ καλοῦ Πηλέως, ἀλληγορίαν ἔχει ταύτην· — τὸ μὲν δὴ συμπόσιον, ὁ κόσμος· οἱ δὲ δώδεκα, οὐράνια τῶν μοιρῶν περιστηρίγματα, ἀτινα ἡδία καλούσιν· Προμηθεύς, ὁ προμηθεύει, ὑφ' ἡς τὰ πάντα ἐγένετο· Πηλεύς, ὁ πηλός ὁ ἀπὸ γῆς εἰς ἀνθρώπου γένεσιν περινορθεῖς καὶ μιγεῖς τῇ Νηρείδι, τουτέστιν ὕδασι· ἐκ δὲ τῆς τῶν δύο μίξεως, ὕδατος τε καὶ γῆς, ὁ πρῶτος, οὐ γεννηθείς, ἀλλὰ πλασθεὶς τέλειος, διὰ τὸ μαζοῖς κείλη μὴ προσενεγκεῖν Αχιλλεὺς προειρεύθη κ. τ. λ.

Vossii, Vulpii, Doeringii, Astii commentariis et lectionibus Mitscherlichii. Parum aut nihil praesidii subministrabat: *Libro di C. Valerio Catullo tradotto in versi italiani a rincontro del testo latino da Luigi Subleyras nell' anno MDCCCLXX. Seconda edizione. Roma, de Romanis 1812.* 12. eius lectionem e Corradiniana ac Vulpiana miro modo mixtam deprehendi. Plus sane debeo nupero editori Franco-gallico: *Les noces de Thétis et de Pélée, poème de Catulle traduit par M. P. L. Ginguené. Paris, Michaud. 1812.* 12. quamquam ille neque codices Lutetiac asservatos neque editionem principem, qua par erat, diligentia contulit, maiorem etiam, quam merebatur, Alexandri Guarini recensioni auctoritatem tribuens. — Versus aliquot nulla iam arte sine melioribus libris sanandos asterisco praefixo dedi, ut leguntur in Codicibus nunc notis; praestat enim, opinor, hac in re artifices imitari, qui antiquorum simulacula truncata picturasque evanidas omissis recentiorum supplementis repraesentare, quam mentita integritate fallere oculos malunt.

In eiusdem poëtae Elegia de coma Berenices præter subsidia iam memorata ac Valckenarium (*Callimachi Elegiarum fragmenta cum elegia Catulli Callimachea collecta atque illustrata a L. C. Valckenaer. Lugd. Bat. 1799.* 8.) magno mihi emolumento fuit Hugonis Foscoli [amici mei, Mediolani quum degerem, probe mihi cogniti, postea generosissimi exsulis, Londinii nuper mortui] liber inscriptus: *La Chioma di Berenice, poema di Callimaco, tradotto da Valerio Catullo, volgarizzato ed illustrato da Ugo Foscolo. Milano dal Genio tipografico 1803.* 8. Nam quamvis animi causa optimus poëta eam ediderit, ut umbraticos doctores describeret ac salse derideret, haud indiligerenter tamen enotavit varietatem codicum Ambrosianorum quattuor Y. (M. 38.) A. (S. 67.) B. (H. 46.) C. (D. 24.) omnium quidem recentiorum seculi quinti decimi, et, quo pollebat pulchri exquisito sensu, rectius de vera lectione saepe statuit, quam ipse Valckenarius, qui hoc in carmine edendo non minus, etsi alio modo, lusisse censendus est, ut scilicet ingenio indulgeret omnesque doctrinae copias prodige effunderet.

Facilius iam res procedebat in Tibullo post Heynii, Wunderlichii, Vossii, Huschkii ac Bachii curas, ex quibus, nulli obnoxius, quae potissimum placerent, meos in usus converti.

In Propertio, consultis etiam Bahrdtio, Burmanno, Kuinoelio, Lachmannum praecipuum ducem habui. In Ovidii Elegiis Burmannum, in Persio vero Passovium ac Nicolaum Achaintre secutus sum, ratione habita etiam corum, quae Casaubonus, Reizius, Montius (*Satire di A. Persio Flacco, traduzione di Vincenzo Monti. Milano, Genio typogr. 1803. 8.*) ac Meisterus (variis in opusculis) ad huius poëtae interpretationem contulerunt. Koenigii commentario careo. Editio quidem Norimbergensis anni 1803. praeter Ebneriani codicis lectiones passim excerptas bonae frugis nihil subministrabat. Primus vero excussi codicem bibliothecae Civium Turicensium (Mss. C. 135.) membranaceum, elegantissime ab Italo librario seculi tertii decimi exaratum ac plerumque cum melioris notae libris facientem.

Quum Sulpiciae satiram denuo recensendam susciparem, ante omnia dispiciendum erat, quaenam obtinuissest lectio ante Vinetum, qua de re ex Schwarzii, Burmanni ac Wernsdorfi editionibus non semper licebat tuto indicare. At destitutus Ausonii editionibus antiquis, Basileensem anni 1523. apud Valentimum Curionem typis expressam atque ex toto cum Aldina conspirantem pro novae recensionis fundamento habui, ita ut, ubi opus esset, vitiis Aldinae Virorum doctorum measque emendationes substituerem.

Ut ad Iuvenalis satiras quasdam selectas novi saltem aliquid accederet, consului praeter Henninii ac Rupertii editiones codicem membranaceum Turicensem (C. a. 24.) seculi quinti decimi, manu Italica nitide scriptum, cui plerumque cum Parisinis Achaintri atque editione principe convenit.

His subiunxi primo loco delectum Epigrammatum concinnatum ex Anthologia Burmanni, Collectione Pisauensi, Martiale et Ausonio, aptumque, ut opinor, et ad lectores exhilarandos et ad usum magistri, qui, dum eum interpretatur, varia literaturae et antiquitatis Romanae capita

strictim attingere poterit. In alteram appendicem conieci locos quosdam luculentos Lucani, Silii Italici, et Claudiani, in quibus explicandis commode disputabitur de poësi historica, de oraculo Delphico, de vera Carthaginiensium religione, ab ea, quam Silius iisdem tribuit, prorsus diversa.

Valerii autem Flacci, poëtae ubique fere sui similis, id est, languidi et probabili quadam mediocritate contenti (*), locum Lib. VIII. v. 1 — 190. non tam propter argumenti praestantiam aut singularem aliquam venustatem selegi, quam quod unum saltem specimen hic extare volebam, quo adolescentium industria converteretur ad eam criticæ partem tractandam, cui subditicia a veris discernere propositum est. Nam uti nuper Aristophanis Nubes posteriores, invito poëta, duobus priorum versiculis [a Reisigio] oneratas vidi-
mus, ita sexdecim a Weichert V. C. ditata sunt Valerii Argonautica, quum antea illi apud Diogenem Laërtium, hi vero in Pii adnotationibus prostitissent potius quam delituissent.

(*) Inique et praepostere me de Valerio Flacco iudicasse asseveravit Paldamus *Propert.* p. 246.: „esse enim hunc „pro tempore suo“”, ut consenteum erat, egregium poëtam.“ *Pro tempore suo*, non nego: sed ego, ad omnia secula atque nationes Valerium exegeram secutusque eram omnium nationum atque seculorum sincerum iudicium certumque consensum, ex quo Valerius Flaccus ex illis est unus, de quibus Horatius, *mediocribus*, inquit, *esse poëtis non homines, non di, non concessere columnae*, fortasse nec ipse concedet Paldamus, ubi adolescens generosus magis etiam imbutus erit arte, sensu, sermone Latinorum poëtarum. *Ed. alt.*

PRAEFATIO SECUNDÆ EDITIONIS.

Haec scripseram novem ante annos. Severioreum meam rationem et paene *βεκκεσέληνον*, qua Latinorum poëtarum carmina integra discipulis audacter tradideram atque in iis exhibendis criticam potius disciplinam quam interpretationem a magistro ipso petendar eram secutus, permultis tamen probatam vidi. Nunc nonnulla consulto delevi; haud pauca addidi; permulta, ut officium requirebat, correxi.

Scribebam Turici Kalendis Septembribus M. DCCC. XXXII.

Notes du mont Royal

www.notesdumontroyal.com

Une ou plusieurs pages sont omises
ici volontairement.

ΤΥΡΤΑΙΟΥ ΕΛΕΓΕΙΑΙ ΛΥΟ.

I.

Αλλ', Ἡρακλῆος γὰρ ἀνικήτου γένος ἐστέ,
θαρσεῖτ', οὕπω Ζεὺς αὐχένα λοξὸν ἔχει.

Μηδ' ἀνδρῶν πληθὺν δειμαίνετε, μηδὲ φοβεῖσθε,
ἰθὺς δ' εἰς προμάχους ἀσπίδ' ἀνὴρ ἔχετω,
ἔχθραν μὲν ψυχὴν θέμενος, θανάτου δὲ μελαίνας
χῆρας ὑπ' αὐγαῖσιν ἡλίου τιλας.

"Ιστε γὰρ, ὡς" Αρεως πολυδακρύτου ἔργος ἀΐδηλα,
εὐ δ' ὄργὴν ἐδάητ' ἀργαλέου πολέμου·
καὶ πρὸς φευγόντων τε διωκόντων τ' ἐγένεσθε,
ώ νέοι, ἀμφοτέρων δ' εἰς κόρον ἥλασατε.

Οἱ μὲν γὰρ τολμῶσι, παρ' ἀλλήλοισι μένοντες,
εἰς τ' αὐτοσχεδίην καὶ προμάχους ιέναι,
πανυρτεροι θνήσκουσι, σάονται δὲ λαὸν ὀπίσσω·
τρεσσάντων δ' ἀνδρῶν πᾶσ' ἀπόλωλ' ἀρετῇ.

Οὐδεὶς ἂν ποτε ταῦτα λέγων ἀνύσειεν ἔκαστα,
οὐσσ', ἦν αἰσχρὰ πάθη, γίγνεται ἀνδρὶ κακά.

Αργαλέον γὰρ ὅπισθε μετάφρενόν ἐστι δαῖζειν
ἀνδρὸς φεύγοντος δῆιψ ἐν πολέμῳ.

Αἰσχρὸς δ' ἐστὶ νέκυς κατακείμενος ἐν κονίγσιν.
νῶτον ὅπισθ' αἰχμῇ δουρὸς ἐληλαμένος.

Άλλά τις εὐ διαβάς μενέτω ποσὶν ἀμφοτέροισιν
στηριχθεὶς ἐπὶ γῆς, χεῖλος ὁδοῦσι δακων,
μήρους τε κνήμας τε κάτω καὶ στέρνα καὶ ὕμους
ἀσπίδος εὐρείης γαστρὶ καλυψάμενος.

Δεξιτερῷ δ' ἐν χειρὶ τινασσέτω ὅβριμον ἔγχος,
κινεῖτω δὲ λόγον δεινὸν ὑπὲρ κεφαλῆς·
ἔρδων δ' ὅβριμα ἔργα διδασκέσθω πολεμίζειν,

5

10

15

20

25

TYRTAEI ELEGIAE DUAE

A B

HUGONE GROTI IN LATINUM CONVERSAE.

I.

- Audite, invicti quando genus Herculis estis:
Obstipo nondum Iuppiter est capite.
Ne stantum contra numerum trepidae viorum,
Sed parvam primis obiicie agminibus.
Proiicite ex animo hanc animam, nec lumina Solis 5
Quae rite prae Mortis nocte soporifera:
Scitis enim, saevi quam facta illustria Martis,
Quam sit bellorum nobilis ille furor,
Saepe fugam experti, fugientes saepe secuti:
O iuvenes, sors vos ista, nec ista latet. 10
Nam qui consertis clipeorum umbonibus audent
Cominus in primos volnera ferre viros,
Saepe minus pereunt et servant pone sequentes:
At timidis virtus undique disperit.
Nec quisquam fando valeat memorare, malorum 15
Degeneres animos milia quanta premunt.
Turpe etenim trepido fugientem proelia cursu
Imbelli dorso volnera suscipere:
Turpe et pulvrea stratum tellure cadaver,
Cuius ab hostili cuspide terga rubent. 20
Sed bene progressus miles pede calcet utroque
Tellurem et labrum dente premat tacito:
Crus latosque humeros et pectus forte femurque
Ventroso clipeus ferreus orbe tegat;
Dextera sed validam summa vi torqueat hastam, 25
Pennata et galeam crista supervolitet.
Discite belligeram faciendo fortiter artem,

μηδὲ ἔκτὸς βελέων ἐστάτω ἀσπίδ' ἔχων.
 ἀλλά τις ἐγγὺς ἵών, αὐτοσχεδὸν ἔγχει μακρῷ
 ἡ ξίφει οὐτάζων, δήιον ἄνδρος ἐλέτω· 30
 καὶ πόδα πὰρ ποδὶ θείς, καὶ ἐπ' ἀσπίδος ἀσπίδ' ἐρείσας,
 ἐν δὲ λόφον τε λόφῳ καὶ κυνέῃ κυνέῃ
 καὶ στέρνον στέρνῳ πεπλημένος, ἀνδρὶ μαχέσθω.
 ἡ ξίφεος κώπην ἡ δόρυ μακρὸν ἐλών.
 ὑμεῖς δ', ὡς γυμνῆτες, ὑπ' ἀσπίδος ἄλλος 35
 πτώσσοντες, μεγάλοις βάλλετε χερμαδίοις,
 δούρασί τε ξεστοῖσιν ἀκοντίζοντες ἐς αὐτούς,
 τοῖσι πανοπλίταις πλησίον ιστάμενοι.

II.

Οὕτ' ἂν μνησαίμην, οὐτ' ἐν λόγῳ ἄνδρα τιθείμην,
 οὔτε ποδῶν ἀρετῆς, οὔτε παλαισμοσύνης,
 οὐδὲ εἰ Κυκλώπων μὲν ἔχοι μέγεθός τε βίην τε,
 νικώη δὲ θέων Θρηίκιον Βορέην,
 οὐδὲ εἰ Τιθωνοῖ φυὴν χαριέστερος εἴη, 5
 πλουτοί δὲ Μίδεω καὶ Κινύραο πλέον,
 οὐδὲ εἰ Τανταλίδεω Πέλοπος βασιλεύτερος εἴη,
 γλῶσσαν δ' Ἀδρήστου μειλιχόγηρον ἔχοι,
 οὐδὲ εἰ πᾶσαν ἔχοι δόξαν, πλὴν θούρωδος ἀλκῆς,
 (οὐ γὰρ ἀνὴρ ἀγαθὸς γίγνεται ἐν πολέμῳ) 10
 εἰ μὴ τετλαίη μὲν ὁρῶν φόνον αἰματόντα,
 καὶ δηίων ὅρέγοιτ', ἐγγύθεν ιστάμενος.
 ἡ δὲ ἀρετὴ τό τ' ἀεθλον ἐν ἀνθρώποισιν ἄριστον
 κάλλιστόν τε φέρειν γίγνεται ἀνδρὶ νέῳ.
 Ξυνὸν δὲ ἐσθλὸν τοῦτο πόληι τε παντὶ τε δήμῳ,
 ὅστις ἀνὴρ διαβάσῃ ἐν προμάχοισι μένη,
 νωλεμέως, αἰσχρᾶς δὲ φυγῆς ἐπὶ πάγχυ λάθηται,
 ψυχὴν καὶ θυμὸν τλήμονα παρθέμενος,
 θαρσύνῃ δὲ πεσεῖν τὸν πλησίον ἄνδρα παρεστώς· 15
 οὗτος ἀνὴρ ἀγαθὸς γίγνεται ἐν πολέμῳ.
 Αἵψα δὲ δυσμενέων ἄνδρῶν ἔτρεψε φάλαγγας
 τροχείας, σπουδῇ δὲ ἔσχεθε κῦμα μάχης.
 Αὐτὸς δὲ ἐν προμαχοῖσι πεσὼν φίλον ὥλεσε θυμόν,
 ἀστυ τε καὶ λαοὺς καὶ πατέρος εὐκλεῖσας,
 πολλὰ διὰ στέρνοιο καὶ ἀσπίδος ὅμφαλοέσσης
 καὶ διὰ θώρηκος πρόσθεν ἐληλαμένος. 25

Munitum scuto tela timere nefas.
Cominus aggrediens, protentam quilibet hastam
 Vel gladium hostili deprimat in latere: 30
Haeret et scutum scuto stabilisque pedi pes,
 Tum conus cono, tum galeae galea:
Pectora pectoribus coëant; sic ipsius hostis
 Vel telum manibus prendite vel capulum.
Tu vero interea veles post scuta latescens,
 Nec lapidum densis imbris obruere,
Nec cessa iaculis obstantem figere turbam:
 Te teget armato militi densa cohors.

11.

Non ullo in pretio, non ulla laude notandus,	
Sive pedis celeris sive manus pugilis,	
Sit licet et vasto Cyclopum corpore maior	
Et superet cursu Threicium Boream,	
Tum pulchrae vincat Tithonum munere formae,	5
Divitiis Cinyram divitiisque Midam,	
Tantalidam Pelopem diffuso limite regni,	
Adrastum blandi vocibus eloquii,	
Omnia quin habeat, si desit adorea belli:	
Quippe usus nullos tempore Martis habet,	10
Qui non intrepidus caedem spectare cruentam	
Conserendumque hosti gaudet habere pedem.	
Hoc vere solidum certamen et unica virtus,	
Aeterno iuvenes quae decorat decore.	
Res populi, commune bonum vir robore praestans,	15
Innotus primis qui stat in ordinibus,	
Oblitusque fugae venit in certamina Martis,	
Adiiciens animum, proiiciens animam:	
Qui propter stantem generosae mortis amore	
Conicitat: hunc bello dixeris egregium:	20
Quem subito hostiles pavitant fugitantque catervae,	
Qui belli fluctus arte manuque regit,	
Qui dulcem amittit, sed primus, in agmine vitam:	
Magnus honor generi, magnus honor patriae:	
Volnera multa ferens, adversa sed omnia, fosso	25
Pectore, lorica nec minus et clipeo.	

Τὸν δ' ὄλοφύρωται μὲν ὁμῶς νέοι ἡδὲ γέροντες,
ἀργαλέψ τε πόθῳ πᾶσα κέκηδε πόλις.
Καὶ τύμφος καὶ παῖδες ἐν ἀνθρώποις ἀρίστημοι
καὶ παῖδων παῖδες καὶ γένος ἔξοπίσω. 30
Οὐδέποτε κλέος ἐσθλὸν ἀπόλλυται οὐδὲ ὄνομ' αὐτοῦ,
ἀλλ' ὑπὸ γῆς περ ἐών, γίγνεται ἀθάνατος,
ὅντιν' ἀριστεύοντα μένοντά τε μαρνάμενόν τε
γῆς πέρι καὶ παῖδων θοῦρος Ἀρης ὀλέσῃ.
Εἰ δὲ φύγη μὲν κῆρα τανηλεγέος θανάτοιο,
νικήσας δ' αἰχμῆς ἀγλαὸν εὐχρος ἔλη,
πάντες μιν τιμῶσιν ὁμῶς νέοι ἡδὲ παλαιοί,
πολλὰ δὲ τερπνὰ παθῶν ἔρχεται εἰς Ἀΐδην. 35
Πάντες δ' ἐν θώκοισιν ὁμῶς νέοι οἱ τε κατ' αὐτὸν
εἴκουντο ἐκ χώρης οἱ τε παλαιότεροι.
γηράσκων δ' ἀστοῖσι μεταπρέπει· οὐδέ τις αὐτὸν
βλάπτειν οὐτ' αἰδοῦς οὗτε δίκης ἐθέλει. 40
Ταύτης νῦν τις ἀνὴρ ἀρετῆς εἰς ἄκρον ικέσθαι
πειράσθω θυμῷ, μὴ μεθιεὶς πόλεμον.

Huius ad exsequias plorant iuvenesque senesque :
 Hunc tota urbs planetu funera prosequitur.
 Sed nec honore caret tumulus sobolesque superstes
 Et sobolis soboles totaque posteritas. 30

Semper honos nomenque manent et postuma fama :
 Sub tellure siti gloria morte caret :
 Scilicet intrepidum quem stantem et belligerantem
 Pro patria et natis Mars ferus abripuit.

Fugerit at nigrae si longa silentia noctis
 Et spolia e bello victor opima ferat, 35

Hunc venerata minor colit, hunc et senior aetas :
 Sic tumulum multo plenus honore petit :
 Cuius honoratam populo nec vocibus ausit
 Nec dictis quisquam laedere canitiam :

Assurgunt illi iuvenes aequacvaque turba,
 Assurgunt aevo iam graviore senes. 40

Hoc nunc quisque paret virtutis scandere culmen ,
 Bellum indefesso sollicitans studio.

28] Ex errore , cui obnoxius fuit vel Scaliger , Grotius quoque h. l. *fus-
 nera* nom. gen. fem. posuit pro *praefixa*. Cfr. supra Anthol. Latinae Ep. 3.
